

DISSERTATIO THEOLOGICA

DE

USU RATIONIS IN RELIGIONE COGNOS-
SCENDA ET DIJUDICANDA.

QUAM

CONS. MAX. VEN. FAC. THEOL. ABOËNSI,

P R Æ S I D E

Mag. GUSTAVO GADOLIN,

*S. S. Theol. Prof. Prim. Archi-Præpos. Ord. de S. Wolodim,
in IV:ta Cl. Equite Acad. Imp. h. t. Rect.*

PRO CANDIDATURA THEOLOGICA

Publico Exàmini modeste offert

GABRIEL HIRN,

L. L. O. O. Docens.

In Audit. Theol. d. XXVIII. Nov. MDCCCXII.

h. p. m. f.

ABOË Typis FRENCKLIANIS.

DEPARTMENT OF AGRICULTURE

UNITED STATES GOVERNMENT
WASHINGTON, D. C.



Uberrima bona varii generis, congenitumque studia
iis fruendi, nobis esse natura concessa, satis nos docet
experientia. Condemnanda itaque haud esse potest ope-
ra exquirendi, quomodo participes fiamus benignitatis
divinae, in nostra promovenda felicitate inprimis conspi-
cua: nec mirari debemus, antiquissimos jam philosophos
in legum, ab hominibus felicitatis studio flagrantibus ob-
servandarum, definitione stabilienda inprimis virium in-
genii suarum periculum fecisse. Probe quidem scio,
felicitatis studium nostris temporibus, utpote impium, ho-
mineque ratione praedito indignum, a Criticis Philosophis
rejici. virtutemque, ut ajunt, solummodo propter se, sine
respectu felicitatis, exercendam esse, malum vero ob pravita-
tem, sine respectu effectuum, fugiendum (a). Neque negare
velim laudatum eorum principium homini exulto quo-
dammodo & eatenus sufficere, quatenus is officiorum rationi
con-

(a) vide KANT: *Die Religion innerhalb der Grenzen der blossen Vernunft*, Vorrede p. IV, V.

siderandæ & sequendæ adſuetus, quovis tempore non opus habeat per ambages disquirere, utrum hoc vel illud sit honestum an turpe, sed exercitatione & usu ita facile, quid agendum sit, quid omittendum, videat, ut ne syllogismo quidem a rei ad felicitatem vi ducto se uti animadvertat. Rudiores vero quod attinet, apud eos idem principium valere, ne acerrimi quidem ejus propugnatores affirmant. Sensus enim recti, tanta apud eos non est vis, ut ejus ductum, misso omni effectuum respectu, sequantur (b); sed potius pretium actionum morale ex earum consequentibus æstimant & metiuntur. Nec video quomodo ideam recti sibi primo formaverint mortales, nisi experientia edocti, quid iis expediat, quid minus; quo facto dein cognoscere cœperunt, an & qua conditione ipsorum actiones omnium felicitati congruant. Hanc viam semper inceserunt homines (c), hanc quoque ingrediuntur hodie infantes, qui, ubi ideam recti hoc modo sibi compararunt, ejus ductum sequuntur, *quoniam ad felicitatem ducit*. Hac itaque ratione idea recti homini rationali inculcanda est, ut effectus ejus bonus, & idea mali,

(b) Quod quidem concedere etiam nobis videtur Cel. KANT I. c. Vorrede p. VI. "Denn ohne alle Zweckbeziehung kann gar keine Willensbestimmung im Menschen statt finden" &c. cfr KÖPFEN: *Bibeln et verk af gudomlig Wisdet, öfverjättning af WULF I. Delen* p. 156-171.

(c) Legem animis nostris inscriptam esse statuitur Rom. 2: 15; sed verba hæc nihil aliud significant, quam esse homines idoneos, qui sensum recti sibi formare possunt; alias enim ideas innatas præsumeremus. In hunc errorem fere incidit JAKOB (*die praktische philosophie*) dicens: nos primo agnoscere auctoritatem legis moralis in nobis inhabitantis, deinde ordinem moralem, tum Dei nobis formare ideam &c.; sed præcedit hæc notitias felicitatis studium.

mali, ut effectus ejus malus esse demonstretur] (d). Hoc rite facto homo etiam præditus ingenio minus exculto, perspicere potest, non solum proprium commodum, ut principium actionum æstimandum esse, sed persuasum sibi quoque habet, uniuscujusque & univerforum felicitatem (e) nos ad bene agendum movere debere; alias enim proprii comodi studium, alios nocendo, nos ad prava seducere posset facta. Unius individui felicitatem aliorum repugnare felicitari, urget Cel. KANT, sed quis unquam negabit nostram felicitatem augeri, aliorum felicitatem promovendo? Quis unquam docuit, vi iis obrutos felices esse, felicitatemque male agendo comparari posse (f)? Hominis itaque est suam promovere felicitatem, ut consilium sequatur Creatoris. Quorum ducentia benignissimus omnium rerum moderator quo dedit lumina hominibus vitæ sparium percurrentibus, quorum opesecure committere se possint lubrico itineri. *Rationem g)* pura & *Revelationem*, cujus utriusque ultimus est finis ut edoceantur mortales, quid iis credendum, quid agendum ad felicitatem obtinendam. Sæpe vero sæpiusque præcium & Rationis & Revelationis in dubium vocatum fuit, diversisque temporibus vel illa vel hæc, si non prorsus con-

A 2

temta,

(d) Hinc sequitur, non solum consilium, quod nos ad male agendum movet, vituperandum, sed & ipsos effectus, qui ex pravo isto consilio emanant, malos æstimandos esse; sæpe enim latent consilia hominis. Huius sententiæ non favet JAKOB l. c. p. 504., qui effectus, nec bonos nec malos esse urget.

(e) v. CICERO: *de Officiis* L. I. c. 7.

(f) Hinc patet: sui ipsius amorem (verum scilicet & sanum), haud esse principium mali, ut placet Cel: KANT l. c. p. 51.

(g) Rationem hæc *subjective* intelligi, scilicet facultatem cognoscendæ & dijudicandæ veritatis, per se patet.

temta, tamen plus justo minoris aestimata fuit. Cum autem, ut infra videbimus, Revelationi per Christum perfectæ uni debeat solidior in re morali doctrina, Religionem Christianam, sanus quisque, ut summum Dei optimi, maximi beneficium non potest non aestimare. Rationem vero, cujus in pretio statuendo valde disenserunt tam Philosophi quam Theologi, esse & necessariam & utilem in Religione cognoscenda & dijudicanda, exponere jam conabor, Specimen aliquod Theologicum bonorum subjecturus censuræ; quo in opere, nil mihi erit dulcius, nil jucundius, quam si quid recti & veri in materia gravissima proferre possim.

§. R.

Primo igitur videbimus, quid valeat Ratio in *inveniendis dogmatibus* ad Religionem pertinentibus. Monendum vero, nos in hac disquisitione considerare Rationem, qualem, absque ullo adjumento Revelationis; historia enim fidesima rerum testis, nos docet; philosophos multum Rationi humanæ tribuisse, quod soli Revelationi debemus. Religio igitur cum ad felicitatem ducere debeat, in hac quæstione quam maxime est necessarium, ut probe teneamus, quid sit felicitas; in qua re difficilius indaginis, haud sine metu, meum feram iudicium, quod tamen ob ejus tractandæ nexum cum materia mihi proposita, haud suspendendum puto. Neminem, accuratius rem pensantem fugit, voluptatem, qua fruimur, vel externis blandiri sensibus, vel Intellectui vel Voluntati satisfacere, & hinc varii quidem pretii esse, ita ut oblectatio sensuum externorum infimum teneat locum, nobiliorem constituat gradum jucunditas Intellectus, summum autem culmen occupet satisfactio voluntatis, indeque exorta tran-

quil-

quillitas conscientiae (h). Quo arctius hos sensus invicem quis conjungere & suos reddere possit, eo feliciorum eum existimaverim. Defectus vero horum sensuum nobiliorum, omnem destruit felicitatem. Venditet se felicem, qui sensualibus fruitur delectationibus, nobiliore carens gaudio; arrogantiae hoc esset, non intimae persuasivonis. Sublimi vertice sidera feriens philosophus (semetipso saltem contentus), felicem se praedicet; illum tamen egestate pressum, morbo laborantem, amicis destitutum, conscientiae morsibus laceratum, quis beatum credat? Felicissimus quidem censeri debet, qui sibi conscius est recte factorum & benignitatis divinae condonatricis; tamen pium istum multo feliciorum aestimem, si intellectu praeditus exculto, bonis etiam sensualibus fruatur. In constituenda itaque notione felicitatis, quid valeat Ratio, facili observamus negotio: gradus nempe felicitatis accurate distinguit: nobiliores praecipit jucunditates, & quamvis sibi relicta, optima salutis media ignoret, talia ea tamen sperat & probat, qualia nobis patefacit Scriptura Sacra, (quod quidem e sequentibus patebit).

Notione felicitatis jam definita sequitur, ut videamus quid valeat Ratio in inveniendis veritatibus ad felicitatem maxime necessariis, versantibus circa has quaestiones: *Num existat Deus? quales existat? num summa potentia, sapientia, benevolentia praeditus mundum regat? num facta nostrae observet, fata dirigat? quid homo? quare in mundum creatus? quid agat, ut consilio creationis suae satisfaciat? quamdiu duratura sit ejus existentia? num rationem reddere debeat actionum? quomodo conscientiae malefactorum satisfaciat?* In enodanda vero quaestione: num Ratio proprio Marte has doctrinas invenire possit? historica potius quam metaphysica argumenta sequemur.

Vulgi

(h) Celso JAKOB l. c. p. 499 in not. haud assentiri possum, qui conscientiam recte factorum, *physicam* vocat jucunditatem.

Vulgi vetustissimi superstitiosas præteriens opiniones, Philosophorum celebritate maxime insignium, quibus Revelationis lux negata fuit, breviter recensitebo his de rebus sententias.

Existentiam Dei, ut entis præter naturam, non solum credebant horum plurimi, sed etiam elegantissime exponebant. argumentis e contemplatione mundi desumptis *(i)*. Nec scio an potius argumentum, Dei existentiam probans, inveniri possit, ac illo una ab effectibus ad Causam ultimam, summis ornatam perfectionibus sumtum, & captui omnium accommodatissimum *(k)*.

Summum illud Numen sapientissimum atque benignissimum, universum sapientissimo ordine gubernare mundum, persuasum sibi habuerunt: nec universi solummodo tenere regimen, sed & hominum fata paterna dirigere cura *(l)*, & cogitata eorum, occultissima etiam scire *(m)*.
Ho-

(i) XENOPHONTIS *Memorab. Socr.* L. I. c. 4. §. 4—19. CICERO *de Nat. Deor.* L. 2. c. 1—12., alios ut taceam.

(k) Laudent Philosophi Critici argumentum sic dictum *Morale*, utpote unice firmum; sed alia ut sileam quæ, ad ejus vim infringendam haud male afferri possunt, vulgi saltem superare captum, ideoque ad pietatis & morum studium promovendum insufficientem idem esse existimaverim, cfr. *Rom.* I: 20.

(l) XENOPH. *Mem. Socr.* L. I. c. 4. §. 4—19, L. IV. c. 3. & CICERO *de N. D.* L. 2. c. 31—36.

(m) *Miror Ven. Less: Ueber die Religion* P. I. p. 39. (nimio forsitan Religionis Christianæ defendendæ studio ductum) hoc negare velle, cum evidentia sint XENOPHONTIS verba L. I. c. 1 §. 19. Σακράτης δὲ πάντα μὲν ἤγειτο Θεὸς εἶδεναι, τὰ τε λεγόμενα καὶ πράττομενα, καὶ τὰ σιγῇ βεβουλευόμενα &c.; e contrario precabatur Socrates, ut Dii bona largirentur, utpote qui optime scirent, quid hominibus conducere, quid minus, L. I. c. 3. §. 2. & L. I. c. 4. §. 19.

Hominem præstantissimis ornatum dotibus, & cujus causa omnia facta essent (n), juste & legibus civitatis conformiter agere præceperunt (o).

Immortalitatem animæ, non solum optabant philosophi Veteres, sed etiam sperabant (p); quamvis interdum dubii spem inter & metum hæsisse videantur (q); quin immo gratam sortem fore proborum, improborum vero asperam, sibi fingebant (r).

In virtutibus exercendis præcipua laude eminent ARISTIDES, PHOCION, SOCRATES, CATO, quorum studia, tamquam imitatu digna, perpetua merito retinentur memoria; natura scilicet duce, legis, quantum penes eos fuit, observantium præcepta (s).

Quæ

(n) XENOPH. *Mem. Socr.* L. IV. c. 3. §. 10.

(o) XENOPH. *Mem. Socr.* L. IV. c. 4. §. 3., PLATO *Apol. Socr.* cura Stephani 1578 p. 29. *πεισομαι δε τω Θεω μαλλον η υμιν* &c., quæ quidem verba demonstrant Socratem justitiæ fuisse tenacissimum; cfr. CICERONIS *de Officiis* Libri III, cujus tamen manea & insufficientis est doctrina in re morali.

(p) PLATONIS *Phædo* Ed. c. p. 63—66. p. 80. p. 106, 107. &c. CICERO *Lælius* s. *de amicitia* c. 3. EJUSD. *Cato Major de Senect.* c. 19—21, 23.

(q) Vide finem *Apologiae* SOCRATIS & CICERONIS *Lælius* c. 3. EJUSD. *Cato Major* c. 19.

(r) PLATONIS *Phædo* Ed. c. p. 113, 114. & CICERONIS *Somn. Scip.* c. 3. atque 9. (quamvis falsæ mixta sit hæc eorum doctrina opinionibus).

(s) Rom. I: 19, 20. Rom. 2: 14, 15. Act. 14: 16, 17.

Quæ omnia, quamvis ita essent, insufficientes tamen & manca erat cognitio veterum philosophorum in doctrinis ad felicitatem maxime necessariis, quod ad *ambitum* earum non minus quam *certitudinem* & *perspicuitatem*, nec modo dubiis vexata (t), variisque hominum referta commentis (u), sed etiam in nonnullis defectu prorsus laborans, v. c. in doctrina de precibus, quibus an & quomodo placari possit Deus, utut anxii imperfectionis suæ conscientia, & necessitatem divini auxilii sentientes, tamen ignorabant (v).

Quamvis itaque non possumus, quin grato agnoscamus animo Dei beneficium, qui lumen Rationis hominibus concessit; multo tamen feliciores, populis aliis Christo antiquioribus, æstimare debemus EBRAËOS, quibus divina accidit revelatio, cujus ope solidior ipsis contigit rerum divinarum notitia, quam qua gaudebant summi vetustioris ævi philosophi. Etenim Ebræis doctrina de uno Deo, a mundo hocce diverso, iis non solum cognita sed & certior & verior, ac apud Ethnicos, fuit, quod ex plu-

(t) Conferatur e. g. in doctrina de Deo CICERO de N. D. L. I. c. 6. "Profecto eos ipsos, qui se aliquid certi habere arbitrantur, addubitare coget doctissimorum hominum, de maxima re tanta dissensio. In providentia divina invaluit opinio; Magna Dii curant, parva negligunt". (CICERO de N. D. L. 2. 66.) De immortalitate animæ dubia eorum videbis PLATONEM in *Apol. Socr. versus suum*, & CICERONEM in *Lælio* s. de amicitia c. 3. EJUSD. *Cato Major de Senect.* c. 19 & sic in ceteris.

(u) Oraculis e. g. fidem habuerunt: præsertim in rebus obscurioribus Numen consulendum præceperunt, videbis XENOPH. *Mem. Socr.* L. I. c. 1. §. 3. 6. L. IV. c. 7. §. 10. CICERO de N. D. L. III, c. 2.

(v) PLATONIS *Alcibiades* L. 2. §. 13 ubi Socrates sapientissimum veluti divinatione præcipit futurum Doctorem, officia erga Deum & proximos expositurum.

plurimis V. T. locis constat (x). Hoc de summo rerum Creatore & Governatore (y), ideas sibi formarunt valde sublimes; nam ut ex altera parte eum immensæ sapientiæ ac potentiæ esse crediderunt (z), sic ex altera, eum paternæ cura clementissime hominum, ac imprimis sacræ suæ gentis, prospicere salutem, persuasum sibi habuerunt (a). In providentiâ divina ex ipsorum sententiâ, certant inter se justitiæ & clementiæ indicia: universali & infinita est ejus bonitas (b), justa, gratuita & æterna. De omni- scientiâ Dei atque speciali ejus de hominibus cura, excelsas sibi finxerunt notiones (c). Dignitatem hominis maximi habuerunt, atque illum ut principem rerum creatarum æstimarunt (d), eum in finem creatum, ut recte

B fa-

(x) Ef. 45: 5, 6, 21, sq. Deut. 4: 35, 6: 4. Pl. 86: 8-10. Deut. 32: 39, 40.

(y) Pl. 19.

(z) Gen. 1: 3, Pl. 104. (cfr. Cic. de N. D. L. 2. c. 39.), Pl. 148: 5, Ef. 40: 12, 13, 15, 25. &c. Job. 28: 23. &c.

(a) Pl. 27: 16 Pl. 36: 6 &c. Pl. 103: 11. &c. Pl. 145: 14.

(b) Pl. 86:

(c) Pl. 139.

(d) Videbis Historiam creationis, ubi hæc res dilucide exponitur & innumera alia loca e. g. Pl. 8: 7. &c.



faciendo (e) felicitatis, non solum hac in vita (f), sed etiam in futura illa (g), particeps fieri possit. Homini itaque haud perinde esse vere senserunt, utrum recte ageret an non; cum malorum factorum culpam poena premit comes, recte vero facta gratia sequatur benignissimi Numinis (h): hinc proborum confidentia illa filialis, qua Dei curæ sese committunt (i), & in angustiis solatium, in spe liberationis & salutis positum (k). Quam contraria est hæc eorum fiducia horrendo isti timori: 'Imposuistis in cervicibus nostris sempiternum dominum, quem dies & noctes timeremus' (l)! Quantum eorum in adversis pia constantia opposita desperationi isti: 'Injurias for-

(e) Pl. 51: 18, 19. Totus hic Psalmus docet, Ebræis injunctum sibi non solum *legaliter* sed & *moraliter* legum observare præcepta; iniquum itaque fert judicium Cel. KANT (l. c. p. 186—189), qui omnem Religionis Mosaicæ prorsus tollere studet laudem dicendo: eam externa tantummodo, (missa omni morum emendatione), pœnis vel præmiis constituendis, præcipere officia, ceteris nationibus & gentibus haud communia, indeque colligit (p. 189.) Ebræorum & doctrinam moralem & ideam Dei, nullius esse pretii. Cfr. porro Deut. 6: 5. Lev. 19: 2.

(f) e. g. Pl. 25.

(g) Multum disputarunt Theologi, an appareant in V. T. vestigia doctrinæ de immortalitate animæ; nobis quidem ad hanc quæstionem affirmando respondendum videtur; cfr præter alia loca hanc rem demonstrantia, Gen. 5: 24. coll. cum Ebr. 11: 13—16. Eccles. 12: 7. Dan. 12: 2.

(h) Jer. 17: 10.

(i) Pl. 68: 6. Pl. 89: 27. &c.

(k) Pl. 91.

(l) CICERO *de N. D. L. I. c. 20.*

fortunæ, quas ferre nequeas defugiendo relinquo^(m)? Virtus Ebræis consequens quasi fuit in imi erga Deum amoris; & profecto quoddam principium officiorum homine est dignius, quam ut Dei præceptis, non ex metu, sed ex amore filiali, spe felicitatis erecti, satisfacere studeamus (n)?

Quamvis igitur longe majores in re morali progressus fecerint Ebræi, Revelatione adjuti, quam sapientissimi Philosophorum apud ceteras gentes. illis tamen in infantia quasi culturæ adhuc constitutis, Summo Numini haud placuit, omnes eas revelare veritates, quas divina nobis patefecit RELIGIO CHRISTIANA, omnes supplens defectus, quos sentit Ratio sibi relicta. Cognitionem nempe de unitate Dei optimi, maximi (o): de providentia Dei paterna (p): de amore Dei in genus nostrum universali: de homine præstantissimis ornato dotibus, summæ felicitatis in hac & futura vita capace, per ingenii culturam, per pietatem modestam (q), per spem denique futuræ vitæ:

B 2

de

(m) CICERO *Tusc. Disp.* L. V. c. 41.

(n) cfr. JACOB l. c. p. 479. (quamvis & ille felicitatis condemnet studium).

(o) Joh. 17: 3. 1. Tim. 2: 5. 1. Cor. 8: 6. Ephes. 4: 5.

(p) Matth. 6: 26 &c. 10: 30. &c. 1. Cor. 12: 6.

(q) Anxie & vi costum suis stare officiis absolum quidem est, sed nimia tamen propriis viribus habita fiducia minime probanda: lætitia enim ista ex hac fiducia exorta, quam Cel. KANT (l. c. p. 12. not.), ut criterium veræ virtutis laudat, suspecta est, & sæpe nihil aliud, quam *Φιλαυτικόν* innidit turpem, cum e contrario seria poenitentia & modesta sibi rebusque suis adhibita attentio, primum efficiat emendationis gradum, 2. Cor. 7: 9, 10. Luc. 18: 13, 14.

de immortalis animæ (*) futura forte seu felici seu infelici (/): Christianus quisque ope Revelationis, non modo æqualena cum Ebræorum illa accipit, verum valde etiam ampliorem ac emendatiorem & certiozem. Sed venio jam ad doctrinam maxime salutarem, quam nobis exhibet Religio Christiana, de *Redemptione* per Christum, quam totam quantum ignorat Ratio sibi relicta. Nec ulla in re benignitas Dei clarior & exspectatione omni nostra major, quam in negotio Redemptionis, quo imbecillitati nostræ gratuito succurritur (t). Nam quis solatii egenum se non sentiet, justitiam Dei cum sua imperfectione morali comparans? Quis se suaque cogitans, se peccatorem non agnoscet? Quis hinc lætus non amplectetur Religionem Christianam, docentem: gratiam Dei nobis patere, modo ordine debito meritum Christi apprehendamus (u).

Soli

(*) Joh. 5: 28; 29. Act. 24: 14, 15. 1. Thes. 4: 13.

(/) Matth. 25: 31. sq. 2 Cor. 5: 10.

(t) 1. Joh. 3: 5. Tit. 2: 14. 1. Pet. 2: 24.

(u) Nobis injunctum esse malum fugere & virtuti studere, per se patet. Religio enim qua docere fingatur, nos, sine ullo nostro emendationis studio, probos atque beatos, solis precibus recitandis, fieri posse, sibi non constat; nam si conversio a Deo perageretur nullo respectu ad hominum animi sensus, desideria, & conatus habito, libertas nostra tolleretur, qua demta nullius pretii essent actiones hominum, & salus nostra ex absoluto Dei penderet decreto, quod statuere impium. Religio vero Christiana, ut virtuti studeamus, idem etiam postulante sanctissima Dei justitia, præcipit. Matth. 5: 4^o. 7: 21^o. Joh. 15: 8. Rom. 2: 13. Gal. 5: 22. 1. Pet. 1: 15, 16. 2. Pet. 1: 5-8. Jac. 1: 22 &c.

Solidiorem atque uberiorem rerum ad salutem pertinentium cognitionem Religioni inprimis Christianæ deberi, vel inde quoque demonstratur, quod post Christum in morali doctrina Philosophi etiam Ethnicorum e. g. SENECA, EPICETUS, MARCUS ANTONINUS, cet. (v) subtilius & verius senserint, quam antiquiorum temporum illi. Quæ eadem ratio est, cur etiam scientiæ aliæ variæ & utilissimæ, ubicunque Religionis Christianæ alma fulsit lux, nova indies ceperint incrementa. Felices ergo multiplici nomine sumus, quamdiu laudata illa luce collustramur, & timendus omnino eslet noster status, si Religio Naturalis sola apud nos valeret (x). Sed ita sentiendum puto: auxiliares sibi in invicem præbeant manus Ratio & Revelatio; hujus enim est, non solum ea, quæ Ratio indagare potest, confirmare, sed & illius in re morali supplere defectus. Rationis autem officium est, divinam librorum Sacrorum debite examinare originem, & quid contineant cognoscere & diligenter perscrutari; sed de his mox ulterius.

§. 2.

Jubet ordo, ut jam paucis ostendamus, quid valeat Ratio in iis *eruedis* & *dijudicandis* veritatibus, quas nobis patefecit Revelatio. Eruendæ vero hæ sunt e libris sacris, quorum ergo recta opus est *interpretatione*, quæ tota quantæ Rationi debetur soli nobis præbenti hermeneutica adminicula, quorum vi non modo genuinum intelligamus verborum, quibus usi sunt sacri scriptores, sensum, sed etiam ad orationis seriem, & quæ reliqua sunt attendendo

(v) cfr LESS I. c. P. 1. p. 191. 219.

(x) Quod tamen non solum optat, sed & sperat Cel. KANT I. c. p. 179.

do, consilium, quo scripserint, sive quos sensus in suis lectoribus excitare voluerint, aperiamus (y). Etenim idem vocabulum diversis locis diversas habet notiones(z; alibi vocabula occurrunt, sono diversa, sed eandem rem signi-

-
- (y) Libros sacros ita interpretandos esse, ut quicquid ii contineant necessario congruere jubeatur cum Religione naturali, sententia est Cel. KANT (l. c. p. 157-166); quod vero est illis vim maximam inferre. Nec si eam sequamur methodum, a committendo petitionis principii vitio longe aberimus, primo scilicet, ac antequam ad Siam Siam legendam nos contulerimus, e rationibus quibusvis a priori ductis stricte definientes quid in Sia legatur, & dein spreitis grammaticis præceptis per operam aliquam (si placet) interpretatoriam obtrudentes Sacris scriptoribus sensus, quos sive habuerint sive non habuerint, eosdem scilicet, quos prævia illa transcendentali ratiocinatione esse eorum assumserimus. Quo artificio si uti in aliis etiam velimus, nescio quem librum ita interpretari non possimus, ut ex eo quilibet sensus eliciatur. Ceterum Scriptura Sacra morum contineri doctrinam maxime sublimem, & optime Rationi congruentem, sed sanæ h. e. non gratuite cujusvis, verum grammaticæ interpretationis ope ex ea eruendam, non tam haud negamus, quam potius defendimus. Quod attinet ad locum Ps. 59: 11-16, a Cel. KANT allatum, violentæ ab ipso commendatæ haud probat Interpretationis necessitatem; nam genium spirat temporis, quo crudeles crudeliter coercendi erant. In religionis doctrina Judaica & Christiana & sigillatim explicanda ac confirmanda, & utraque junctim exponenda ac secum invicem concilianda, violentiam hanc esse conspicuam, falso contenditur (vid KANT l. c. p. 160); nam sobrie interpretari, non est sensum torquere verborum. Recte quidem urget KANT criterium veræ Religionis esse hominum emendationem (l. c. p. 161); hac vero in re errat, quod Religionem naturalem, principium omnium Interpretationis esse dicat, quoniam ejus quoque finis sit hominum emendatio; hoc enim esset sensum intrudere libro, non sensum e libro eruere.

- (z) e. g. ἀπολυτρωσις, πίσις &c.

significantia (a): illas itaque in sua quasi capita referre & horum exponere convenientiam, necesse est. Quod si neglexerimus, simplicitatem Religionis Christianæ cum ejus arbitraria & artificiosa quavis expositione male commutabimus, atque occasionem rixis excitandis miseris noxiisque præbebimus. Rationis itaque ductu indagamus, quas doctrinas revera contineant sacræ litteræ, & e contrario illorum fugimus errores, qui sectæ suæ placita aliis obtrudere volunt, de doctrina Scripturæ jejune disputantes, priusquam de potestate & genuino verborum sensu atque de serie orationis aliquid pro certo constiterit. E qua scilicet insania ortæ sunt plurimæ disensiones, quæ Christianos turpissime disjunxerunt & Religionis Christianæ veritati valde obtuerunt.

Genuino autem litterarum sacrarum sensu sic elicitō, de Religionis & singulis partibus & toto Systemate, Rationis est ferre judicium. Dijudicemus ergo *primo, possibilitatem* eorum, quæ in Religione traduntur, quæ quidem opera in articulis fidei puris, non in mixtis, locum habet, quoniam in his felicissime conspirant Ratio & Revelatio. Cavebimus nempe ne præjudicio capti, tales amplectamur doctrinas, quæ Rationi sint contrariæ; eum enim in usum data nobis est Ratio, ut falsa a veris discernamus. Sed probe distinguendum inter ea, quæ Rationi sunt adversa, & ea, quæ ejus superant captum. Neminem itaque morabitur, intra cancellos Religionis Christianæ comprehendi etiam doctrinæ partes, menti humanæ

(a) v. c. ευαγγελιον, χάρις, αληθεια, ὁ λογος της αληθειας, ὁ λογος τε Θεου, ὁ νομος τε Χριστου, πνευμα, ὁ νομος της ελευθεριας &c.

manæ impervias: nam quæ supra hominum captum sunt (e. g. remissio peccatorum per gratiam Christi), ab excultis ingeniis optantur & sperantur. Neque nostra ignorantia naturalis veritatem eorum infringere potest; nam in mundo etiam sensuali multos experimur effectus, quorum causas & rationes perspectas nobis haud habemus. Stultum igitur existimaverimus, qui e. g. ignis vim negare velit, quia naturam ejus interiorem explicare frustra studebit. Pariter neque probanda est, quæ tamen apud multos invaluit, licentia de iis Religionis veritatibus, quæ Rationem sibi relictam latent, dubitandi.

Quibus ergo positis & concessis, & cum demonstratum sit, nullam veritatem in Religione Christiana patefactam Rationi repugnare, quin potius ei optime convenire, Rationis ope *deinde* perspicimus nexum firmissimum, quo inter se revelatæ veritates ita cohærent, ut nonnisi vi a se invicem divelli possint; quam arctissimam earum mutuum conjunctionem nemo negabit, cui curæ cordique fuit debitam Religionis Christianæ capitibus examinandis adhibere attentionem. Sed quid multa in re tam clara, tam testata?

Sentit *demum* Ratio beneficam Religionem Christianam, dubitationes omnes, in quas Ratio sibi relictæ adducitur, tollere (ut jam in §. antecedenti demonstravimus), indigentiaque nostræ morali optime mederi, ideoque Eam ad nostram felicitatem maxime esse *necessariam*,

§. 3.

Ut dein, quæstione generatius tractanda, latum de Religionis præstantiâ judicium sequitur Religionis vel
appro-

approbatio, si criteria veritatis contineat, vel si *secus*, e-
jus reprobatio, ita idem omnino in examinanda Religione
 Christiana obtinet. Approbationem vero nostram quæ i-
 tidem tota quanta Rationis est, in primis meretur Reli-
 gio nobis præstans ea ad salutem ac consolationem no-
 stram necessaria, quæ aliunde derivari ac peti non pos-
 sint. Quam Christianismi esse laudem longe præstantissi-
 mam, quis inficias ibit? Sic v. c. doctrina de origine &
 propagatione *malii* (b), quæ valde exercuit ingenia Philo-
 sophorum, & illa de Remissione peccatorum per Chri-
 stum impetranda ejus sunt indolis, ut nonnisi in Re-
 ligione Christiana digne, Rationique sufficienter exponan-
 tur (c). Dei justitiam lædunt, qui hominem veniam posse
 obtinere peccatorum dicant, solum ob clementiam di-
 C vinam

(b) Hæc doctrina ita tractetur, ut Dei justitia & hominum libertas non
 tollitur. Dedit Deus homini propensionem seu prædispositionem
 (*Hang*) ad bene vel male agendum juxta arbitrium liberæ volunta-
 tis (*Willkühr*), quæ bona aut mala adoptare potest principia: h. e.
 creavit Deus hominem sine culpa, innocentem, talem vero, ut pec-
 care vel non peccare posset. Nec injustus fuit Deus, qui homi-
 nem talem condidit; alias enim hominis aut omnia facta *ad iacturam*
 fuissent, aut libertas sublata. Neque Dei fuit culpa, sed homi-
 num, quod libertate sua malum sequendo abuterentur. Simplicis-
 sima hæc rei expositio haud placet Celso KANT, qui arguit: primum
 hominem sine ulla quidem propensione fuisse creatum (l. c. p.
 45), sed tamen sensum indulsisse impulsui, atque Adami potteris
 innatam inesse propensionem, illis imputandam, quoniam in libera
 hominis voluntate querenda est (l. c. p. 35); quæ quomodo inter
 se cohæreant, me latet. Nam unde peccatum Adami, nisi concu-
 piscentiæ (*Neigung*) indulgere potuisset? & e contrario: quomodo
 nobis imputandum malum innatum, quod commissum adhuc non
 fuit? cfr Rom. 2: 6. & Rom. 5: 12.

(c) cfr Cel. ÖDMANN, (*Strödda försök öfver nya Testamentets heliga
 Skrifter, Tredje Bandets första häfte p. 1 - 30*), qui eleganter &
 perspicue Expiationis tractat doctrinam.



vinam, absque ulla interveniente satisfactione; necessarium itaque fuit, ut per Religionem Christianam certiores fieremus de beneficio Redemptionis, quo rite exposito optime conciliare possumus Dei justitiam atque gratiam, qua salutem nostram clementissime prospicere voluit.

Religio itaque Christiana totum quoddam, seu *auspiciis* doctrinae nobis praebet omnibus numeris absolutum, Rationi nostrae quam maxime consentaneum. Ubi enim consistere cogitur Ratio, utcumque ulterius progrediendi cupida in suis disquisitionibus, ibi Religio Christiana patefacit veritates, quibus rite per fidem acceptis, summam capaces erimus felicitatis & gratiae divinae certo nobis conscii (d). Sensuum quoque & studiorum, a Religionis Christianae doctrina excitatorum, maxima est in mores & actiones vis. Nec dulcius quicquam conspici potest, quam tranquilla piorum vita, qui amore intimo in Deum ducti, Ejus mandatis omni studio satisfacere conantur (e), filiali expectantes fiducia Deum clementissime errata eorum condonaturum, imbecillitatemque sublevaturum; in secunda fortuna modeste, in adversa patienter se gerentes. Nec in singulos solum homines felicitas per Religionem Christianam redundat; sed in universos coetus eam profitentes, nam ubi salutaris haecce valet Religio, ibi quoque incrementa capiunt scientiae omnes quotidie, & optimae inclarescunt virtutes (f). Vi itaque deprehensae convenientiae Religionis Christianae cum Rationis praecipuis, nec non efficaciae ejus experientia confirmatae, ad eam approbandam maxime cogimur.

§. 4.

(d) Rom. 8: 37 ad finem.

(e) 2 Petr. I: 4—II. Matth. 5: 44—46.

(f) cfr LESS I. c. P. II. p. 144—152.

§. 4.

Religionem vero quam ut veram approbat, eam quoque contra insultus inimicorum *defendere* Ratio potest. Objici quidem nobis possit, multas gravesque e Rationis usu exortas esse ad Religionem Christianam spectantes lites; sed hæ eadem lites dijudicatæ quoque atque compositæ erroresque refutati, Rationis ope fuerunt. Et nullus dubito, quin veritas Religionis Christianæ tanto clarius elucescat, quanto diligentius ea examinetur. Si vero quis pertinaciter infringere studeat veritatem Religionis Christianæ, neque Religionis hoc est, neque Rationis vitium, sed prævæ istius hominis voluntatis, quæ potius commiserationem nostram, quam indignationem meretur. Nec Theologorum nonnullorum nostræ ecclesiæ antiquiorum præceptis anxie inhærendum, qui acriter jusserunt Rationem *captivari*; justa enim eorum erat indignatio de detrimento, quod ceperat Religio Christiana e Philosophia Scholasticorum intricata; ipsi vero, in dijudicandis doctrinis ad Religionem pertinentibus, sobriam adhibebant dubitationem.

Hinc patet: penes Rationem, modo rite ea utamur, esse Religionem dijudicare, nam præter eam, nil habemus, quo veritatem Religionis rimari aut defendere possumus; abutuntur autem Ratione & qui eam prorsus nihil valere autument, & qui omnia Religionis respuant capita, solius Rationis captum superantia.



